

phus, sua ætate clarissimus: Apud quem Rhodius quidam moriens, breui post se morituros sex ex cœuis suis nominat, & ordinem adiicit moriendi: Nos in hac re, inque aliis ad hunc modum abditis, opinari possumus, certi aliquid scire qui possumus inexperti? Vbi quidem Poëticae ludis libertate, nostra nequaquam vti prohibemur: Hoc autem loco (quod sine temeritate arrogantiæque licet) aliquot exempla proferemus, ex illustribus Historicis.

CAES. AVGVSTVS.

Primum omnium memoriæ proditum est, & si Tranquillus opinari aliquid aliud malit, Augustum Cæsarem, dum spiritus reliquias agit digrediente Tiberio, cum quo longum, & arcanum sermonem habuerat: Miserum P. R. qui sub tam lentis maxillis erit. Id verbum à cubiculariis auditum, & per manus (vt aiunt) in vulgus effusum est: Atqui nequaquam, vsque ad id tempus Tiberius ignaui Principis spem dabat, sed siue semper prouidentissimus Imperator, siue tunc mortis etiam vicinitate prouidentior, non superficialitatenus enim vt cæteri, sed introrsus inspiciens, miseriam P. R.

urbanè